COLLEGIUM JURIS PUBLICI, CONTINENS OCTO DISCURSUS, IN QUIBUS DE ROMANI IMPERII INITIIS, ...

Christoph Beindorff, Valenti Gonzaga

THESIS I.

VT ultimos, quos in hoc Collegio civitatibus Imperialibus devovimus labores, eò melius exantlare possimus, ordo, quem hactenus quantum fieri potuit, observavimus, resumendus erit, ipsoq; duce, civitatum notatio, significatio, & reliqua perlustranda erunt.

2. Civitas, ni fallimur, à civibus dicta est, quasi civium unitas. *Petr. Gregor. Tholosan. 1. de Rep. 3. sect. 1. Althus. in Polit. c. 5. n. 48.* nam mutua illa cohabitatione & quotidiana conversatione, spe communis lucri, & metu communis mali, civium concordia quantum alatur & illorum animi uniantur in propatulo est.

3. Cæterùm civitas varias habet significationes: Primò enim accipitur pro collecta multitudine hominum, ijsdem legibus & moribus viventium, sive sit Respublica libera per se, §. *1. Instit. de J. N. G. & civ.* sive alii subjecta, *Paur. de jurisd. lib. 2. c. ult. n. 1.* Secundò tàm pro oppido & urbe, quàm pro villis & pagis, quibus omnibus census solvitur, in materia censuum, *l. 4. §. 2. ff. de censib.* Tertiò pro loco seu tractu, vel provincia vel territorio, quibus unius Reipublicæ cives comprehenduntur, *Paurmeist. d. l.* qui licet linguis & morum varietate differant, ac plurimis distrahantur provinciis, unica tamen majestate uniuntur, & quasi conglutinantur *Aristot. 3. polit. c. 6. Bodin. de Repub. lib. 1. c. 6.* & hoc in sensu *in l. 33. ff. ad municipal.* Roma communis nostra patria dicitur, cujus cives sunt omnes, qui in orbe Romano sunt, *l. 17. ff. de stat. hom.* Quartò pro jure civitatis, quod vulgò das Bürgerrecht appellare solemus, usurpatur, *vide Paurmeist. d. l. Kirchner. disp. 7.*

de Republ. th. 1. lit. A. *Matth. Stephan. l. 2. de jurisd. part. 2. c. 1. n. 1. 2. & 3. Arnisæ relect. polit. lib. 1. c. 5. sect. 2. & 5.* qui plura huc facientia explicant, & quomodo ab urbe & oppido differat, docent, nos ad definitionem tùm generalem tùm specialem pergimus, quæ in th. sequenti & 6. positæ sunt.

4. Civitas in genere est societas ad benè vivendum & domibus & familiis instructa, vitæ perfectæ & abundè instructæ gratia. Societatem dicimus civitatem, non multitudinem, quia hæc non rarò vaga, & hinc inde distracta est, illa verò ob communionem juris & utilitatis suaviter conspirat, & eo ipso civitatem constituit. Additur quod sit societas non hominum nam non distingueretur, nisi per finem à collegiis, sed domuum, ac familiarum, etenim cives non sunt solitarii homines sed patresfamiliâs. Illi quippe sunt socii, qui participes sunt suffragiorum & juris de Republica statuendi. Finis annectitur (vita perfecta & abundè instructa) non ideò quod civitas per se, & sine Republica illam consequi possit, sed quod ad eam destinetur, *Arnisæ. lib. 1. relect. polit. c. 5. sect. 5. n. 30. 31. & 32.*

5. Olim civitates aliæ erant maximæ, aliæ majores, aliæ minores, ob maxima, majora, vel minora, quæ habebant privilegia *l. 6. §. 2. ff. de excusat. & gloss. ibidem.* Maximæ vocabantur Metropoles, id est, matrices sive matres civitatum, quod coloniæ ex illis ductæ, sive quod ut matres populum pepererint, qui ex eis in alia transmissus fuit oppida, quæ se ad illas sicut filiæ habent. *Petr. Greg. Tholosan. lib. 2. de Repub. c. 1. n. 9.* Non verò quod Metropolitanum, id est, Archiepiscopum habeant, ut putat *glossa in d. l. 6. §. 2. verbo metropoles. ff. de excusat.*

6. In principio nostro Romano-Germanico, summa civitatum divisio est, quod quædam sint imperiales, quædam provinciales, illæ vulgò vocantur Reichsstädte/ hæ Fürstenstädte *Paurmeist. de jurisd. lib. 2. c. ult. n. 0.*

7. Probamus autem hanc divisionem cum eodem Paurmeistero *d. l. n. 17.* sequentibus rationibus. I. Quod constitutiones & acta imperii præter civitates Imperiales & provinciales nulla civitatum agnoscant genera in Imperio nostro

stro Reichs Abschied zu Speyer Anno 1544. §. Die Freye vnnd Reichsstädte ibi: Die Freye vnd Reichsstädte/auch andere Städte/ so den Fürsten oder ander Herrschafft zugehören. R. A zu Augspurg Anno 1548 § Vnd also erstlich / vnd wiewol etlicher Fürsten vnd Herrn Städten.

8. II. Quia hæc divisio petita est ex specifica civitatum differentia, quæ in jure Comitiorum consistit, unde tales oriuntur illationes: Quæcunque civitates habent jura comitiorum, illæ sunt Imperiales, & è contra: Quæcunq; civitates non habent jura comitiorum, illæ non sunt Imperiales, sed provinciales. Hic facilè quis subsumere poterit, quid de hac, vel illa civitate sit statuendum, quæ hanc admittit vel respuit differentiam. Etenim qui medium inter hasce ponere satagit propositiones, ille egregia cum absurditate medium inter duo contradictoria concedit. *Paurm. d. l. n. 31.*

9. Jam quid rationibus sit respondendum, quę contra datam nostram divisionem, à contrarium sentientibus & mixtas civitates constituentibus proferuntur, videbimus. Et primò quidem, quod attinet sententiam, quæ à Carolo IV Imperatore, inter Comites Holsatiæ (qui hodiè Duces) & civitatem Hamburgensem, testante *Cranzio* (verba sunt Paurmeisteri *d. l.*) fuit lata, luce meridiana clarius est, illam non de mixtione & temperatione status civitatis Imperialis & provincialis, quoad ipsam formam essentialem, sed aliis juribus tàm Imperatori quàm Comitibus Holsatiæ in ea competentibus tribuendis agere.

10. Deinde nec huic sententiæ (verba itidem sunt Paurmeisteri *d. loc.*) refragantur quoq; Bartoli, Zasii & aliorum tradita, *in l. omnes. populi. ff. de justit. & jur. n. 3.* Bartolus enim dicto loc. nullius neque Imperialis, neq; provincialis, vel mixtæ civitatis facit mentionem, sed tantùm de populo habente jurisdictionem, an statuta facere possit absq; superioris confirmatione, quærit. Zasius licet textum *d. l. omnes populi.* cum Bartolo & cæteris de civitatibus aliis Regibus & Principibus subjectis intelligat, cum tamen Ulpianus ibi loquatur de Repulica sive populo jure Imperii sociato, duarum tamen solummodò civitatum specierum meminit, Imperia-

rialium, quæ solùm Imperatorem, & Provincialium, quæ, ut loquitur, Principes terræ & Comites superiores agnoscant, mixti verò generis mentionem nullam facit.

11. Tertiò Matthias Stephani *lib. 2. de jurisd. part. 2. cap. 1. n. 18.* Pro mixtis civitatibus ita pugnat. Quæcunque civitates partim Imperatorem quoad regalia, quæ ab ipso habent, partim Electores vel Duces Imperii quoad territoria, in quibus sitæ sunt, recognoscunt, illę sunt mixtæ. Atqui quædam civitates partim Imperatorem quoad regalia, partim Electores & Duces Imperii recognoscunt. E. Verum hujus argumenti major nullius est valoris, quia etiamsi illa Imperialia & Electorlalia jura concurrant in quadam civitate provinciali, tamen Imperialis, ut Stephanus eam dicto loc. vocat, exinde non generatur, sed illa civitas, quæ talia ab Imperatore consecuta fuit jura, nihilominus provincialis manet, & de nullo alio, quàm quod majora privilegia, ac aliæ civitates provinciales habeat, gloriari potest. Ex his plus quàm manifestum est, mixtas civitates nullas dari, nisi quis ineptè magis & minus speciem constituere asserere velit. Plura vide apud *Paurmeist. lib. 2. de jurisd. c. ult. n. 17. usq; ad n. 32.*

12. Imperiales civitates sunt societates, quæ Romano Imperio immediatè subjectæ, albo ejusdem inscriptæ, sessionem, & votum decisivum in Comitiis habent, ut cum reliquis Imperii statibus salutem ejus promoveant. Aliàs nobilia Imperii Romani membra, in diplomatis & privilegiis Imperatoriis vocantur, *Regner. Sixtin. de regal. lib. 1. c. 4. n. 80.* Imò fulcra & Imperii columnæ appellantur, *Bertram. de comit. conclus. 45. apud Amplis. Dn. D. Arum. discurs. 9.*

13. Liberæ civitates hæ Imperiales dicuntur, non quod immunes à sublevatione tributi existant, sicuti olim liberæ provinciæ, quarum mentionem facit Lazius comment Reip. Romanæ lib. 2. c. 5. sed quod pro rata conferre tenentur, in cæteris ab exactionibus inferiorum Principum liberæ & immunes, *Knichen in velit. apologet. n. 130. Reink. lib. 1. de regimin. secul. & Ecclesiast. class. 4. c. 20. n. 10.*

14. Hîc commodè examinari potest illorum opinio, qui putant differentiam esse inter Reichßstädt & freye Reichsstädt

städte/ & dicunt illas esse civitates, quæ nunquam superiorem recognoverunt, & loco insigniorum vel aquilam integram vel aliquid habent, has verò, quæ omninò nihil quoad aquilam loco insigniorum ferunt, & quondam jugo Episcoporum vel aliorum Principum subjectæ, postmodum libertate donatæ & exemtpæ sunt. Verùm hæ conjecturæ tanti non sunt momenti, ut nobis realem differentiam inter Reichsstädte/ vnd Freye-Reichsstädte/ persuadere possint, siquidem indifferenter hæc nomina omnibus omninò Imperii civitatibus tribuuntur & sæpillimè copulativè conjunguntur Freye vnnd Reichsstädte. Reichs Abschied de Anno 1542. §. Die Freye vnd Reichsstädte/ auch andere Städte/ so den Fürsten oder andern Herrschafften zugehören R. A. de Anno 1544. §. Vnd nemlich sollen alle, *ibi:* Freye vnd Reichsstädte. *Knich in velit. apologet. n. 125. Reink. lib. 1. de regim. secul. & Eccles. class. 4. c. 20. n. 36.*

15. Compilator Cameralium decisionum seu præjudiciorum in verbo civitas alias differentias profert, quando scribit, si differentia inter liberas & imperiales civitates subesse censeatur, semper pro eo habitum est, unam civitatem Imperialem plus altera liberam esse: ita ut cives à tributis vel jure migrationis sint immunes. Sicq; quasdam civitates, ut Ulmam, Hailpronnam, Hallam Suevorum, Eslingam & alias similes reperiri, cum quibus antè discessum, Man sich des Abzugs halben abfinden müsse. Sed vicißim illud in aliis civitatibus in usu non esse, ut Aquisgrani, Argentinæ, Spiræ, Wormátiæ; proinde etiam eas, simul liberas & Imperiales civitates se nominare. Mox verò subjicit idem Autor. Audivi & aliam rationem, quod plurimæ civitates Imperii teneantur Imperatori quotannis ad certam pecuniariam summam, quasi pro tributo, vel subsidio, aut aliam similem in recognitionem: si non quotannis tamen certis modis & conditionibus, puta, quotiescunque Imperator aliquam civitatem transit vel ingreditur, cujus ratione & intuitu non sunt liberæ, sed merè & propriæ Imperiales, hactenus d. A. referente *Besold. in differt. de iur. & imperio Imper. civit. n. 5.* Sed an hæ sint veræ differentiæ, dubitamus.

16. Ci-

16. Civitatum Imperialium olim major fuit numerus, quàm hodiè. Thuanus enim part. *1.lib. 2. p. 25.* XC. enumerat. Matth. Stephani verò part. 2. lib. 2. c.1. n. 85. Liberas Imperales civitates LXXXIV. Simpliciter autem Imperales tantùm XVIII. recenset, quas tamen ex Recessibus Imperii faciliùs colligere possumus. Sic Elbinga, Dantiscum, Metis omninò, ab imperio sunt avulsæ. Sulsatum, Brackelen/ & Lemgovia Principum jurisdictioni subsunt. *Paur. lib. 2. de jurisd. c. ult. n. 17. inf.* quæ fortuna etiam Noviomago, Ingelsheimio, Oppenheimio, Keyserslautern & aliis contigit. *Münster. lib. 3. c. 24.*

17. Hodiè secundùm sessiones, quas in Comitiis habent, distinguuntur, eamq; vel in scamno, ut vocant, sive latere Suevico, vel in scamno sive latere Rhenano. In latere Suevico sunt Regenspurg/ Nürmberg/ Rotenburg an der Tauber/ Weissenburg am Nortgaw/ Donawert/ Winsheim/ Schweinfurt/ Wimpffen/ Heilbron/ Schwäbischen Hall/ Nörlingen/ Dinckelspull/ Ulm/ Augspurg/ Bingen/ Bopfingen/ Schwäbischen Gemundt/ Eßlingen/ Reutlingen/ Weilpfulendorff/ Kauffbeuren/ Uberlingen/ Wangern/ Ysin/ Leuthkirch/ Memmingen/ Goßlar/ Türckheim/ Verden. In Rhenano latere sunt: Kempten/ Buchorn/ Ravenspurg/ Biberach/ Lindaw/ Costnitz/ Straßburg/ Keysersberg/ Colmar/ Schlädstadt/ Rottweil/ Hagennaw/ Weissenburgk am Rein/ Obenehenheim/ Roschen/ Speyer/ Wormbs/ Franckfurt am Mayn/ Friedberg/ Wetzlar/ Cöln am Rein/ Aach/ Offenburg/ Landaw/ Gengenbach/ Zell am Humersbach/ Lübeck/ Hamburg/ Dortmünd/ Müllhausen in Thüringen/ Northausen in Thüringen/ Münster in S. Gregorienthal/ Herverden/ Cammerich. *Schonborn. 5. Polit. 6.*

18. Inter enumeratas tamen civitates, sunt præcipuæ, Augusta, Aquisgranum, & Lubeca. *Paur. de jurisd. l. 2. c. ult. n. 33. Bocer. de collect. c. 4. n. 32. Reink. lib. 1. de regim. sec. & Eccl. class. 4. c. 20. n. 25.* Metis enim, quæ olim inter has quoque fulgebat, ab Heinrico II. Reg. Gall. ab Imperio fuit avulsa, *Thuan. lib. 11.*

19. Causam efficientem civitatum Imperialium ut videamus instituti flagitat ratio, quæ partim communis, partim propria, communis est jus naturæ *Aristot. lib. 1. Polit. c. 2.*

quod

quod omnes civitates produxit. Etenim cum homines sint natura sociabilia animalia, ideoq; illorum congressus familias sive domos genuit, quæ multiplicatæ tandem ejusmodi societates pepererunt, quas civitates nominamus. *Arnis. in relect. polit. lib. 1. c. 5. sect. 1. n. 1.*

20. Propria est Imperator & reliqui Imperii status. Ille enim civitatibus privilegia & immunitates concedere, & adimere potest. Sic Imperatores Theodos. & Valent. civitati Beryto nomen & dignitatem metropolitanam concesserunt. *argumento l. un. C. de metrop: Beryt. Bruning. de var. univers. speciеb. concl. 13.* Et quando legimus Nimrodum Babylonem. *Genes. 10.* Didonem Reginam Carthaginem, Romulum Romam condidisse, non ad ædificiorum sumptus, quos dederunt, sed potius ad immunitates, jura & alia, quæ civitates ab aliis segregant communionibus respiciendum esse putamus.

21. Materia civitatum imperialium, sicut reliquarum sunt familiæ, ex harũ enim multiplicatione, ut supra diximus, tales prodiêre societates, quæ postea non rarò ita creverunt, ut ex nonnullis coloniæ ductæ fuerint, quæ novarum civitatum suppeditarunt primordia. *Bod. de Republ. lib. 4. c. 1. in pr. Petr. Greg. Tholos. 1. de Republ. c. 2. sect. 2.*

22. Formam per quam civitates hæ, illud sunt, quod sunt, in potestate, quam in comitiis & in territoriis habent, collocamus, per hanc enim ab aliis discernuntur civitatibus, quæ talem non possident.

23. Dependet autem hæc potestas ex eo, quod civitates Imperiales status Imperii sint, & ideò in Comitiis Imperialibus sessionem & votum habeant, cum in ijsdem unà cum aliis S. R. G. Imperii statibus, non solùm audiantur, verùm etiam cum illis Recessus subscriptione & sigillo confirment. R. A. zu Augspurg de Anno 1551. §. Unnd wir Churfürsten/ ibi: Und wir Churfürsten/ Fürsten/ Prælaten/ Graffen unnd Herren/ auch der Churfürsten/ Fürsten/ Prælaten/ Graffen/ und des heiligen Römischen Reichs Frey unnd Reichsstädte/ gesandte Rähte/ Bottschafften und Gewalthaber/ hernach benandt/ bekennen öffentlich mit diesem Abschied/ daß alle und jede abgeschriebene Puncten/ und Articul mit unserem guten Wissen/ Willen und Rath vorgenommen

nommen vnd beschlossen sind. Imò civitates Imperiales à Serenissimo Electore Moguntino sub hac formula ad Comitia vocantur. Ihr wollet erscheinen neben vnd mit andern Reichsständen helffen handlen/ rahten vnd beschliessen. *Bruning de var univers. specieb. concl. 18.* quod consulentibus neutiquam conceditur, nec de illis sine manifesta falsitate prædicari potest.

24. Non itaq; magnifacimus illa, quæ *Peucer. in Chron. lib. 5.* scribit, nempè civitates non suffragandi, sed tantùm consulendi jus habere. Et quæ Orator Reipubl. Veneta apud Philippum Honorium in Relatione sua de aula & Regno Imperatoris Romani profert, his verbis: civitates etsi sententiam suam quasi consilium conferunt, tamen nullum in decidendo suffragium habent. Etenim illorum assertiones solidis destituuntur fundamentis, ut ex sequentibus patebit rationibus.

25. I. Quia quicunq; sunt status Imperii, illi habent votum decisivum in Comitiis. *Paurmeist. libr. 1. de Jurisd Rom Imp. c. 8. n. 2. 3. & 4.* Civitates sunt status Imperii. *Gail. 2. obs. 57. n. 7. & de pace publ. c. 6. n. 11. Knichen. in velit. Apolog. num. 127. Amplis. Dn. D. Arumaus Præceptor meus observand. disc. ad Aur. Bull. 1. concl. 8.* E. Civitates habent votum decisivum in Comitiis.

26. II. Quia. Quicunq; habent jura Principum, illi habent votum decisivum in Comitiis, quia in æquiparatis eadem observantur jura. Atqui civitates Imperiales habent jura Principum. *Waremund. ab Erenb. lib. 2. n. 36. & seq. Gail. obs. 57. n. 7.* E. civitates Imperiales habent votum decisivum in Comitiis. *Plura vid. apud Dn. D. Arum. discurs ad A. B. 1. concl. 8. Reink. lib. 1. de Regim. sec. & Eccl. class. 4. c. 20. n. 21. 22. & 23.*

27. Et propterea quod status imperii sunt, competunt illis jura territorii, vulgò, Die Landsobrigkeit/ Städtliche Obrigkeit vnd Herrligkeit/ uti Principibus. Landsfürstliche & Comitibus Gräffliche *Dauth in hypotypos.* Etenim imperiales Civitates proprium districtum & territorium habent, ob quod Imperatorem immediatè recognoscunt. Ergò etiam jus territorio annexum, hoc est, superioritatem habebunt, nam territorialis supe-

superioritas, territorium, sicut umbra corpus sequitur. *Knich. de sublim. & Reg. territ. jur c. 1. n. 195.*

28. Huic adsertioni Andr. Knich. *in velit. Apolog. n. 8.* suam juris territorii definitionem, quæ sic habet: Jus territorii est superioritas, Principibus sublimi & Regia jurisdictionis lege sub nomine & qualitate, der Landts Obrigkeit / ordinario & proprio Marte concessa, opponit, eaq; civitatibus Imperialibus jura territorii non competere, contendit. Sed respondemus d. definitionem magnum postulatum continere, quam pro concessa accipit solis Principibus hæc territorii jura competere, quod illi territoria, id est, ditiones & Ducatus, Principatus & alias ditiones Regias dignitates annexas habentes, erectas habeant, sed fallitur; Etenim istæ ditiones, non ideò territorialia jura habent, quod feudales sunt, sed quod Imperator olim illis ea concessit. Deindè confundit Knich. jura territorii cum dignitatibus Regalibus, & putat illa nulli competere, nisi qui has habeat, sed perperam, ut enim quis jura territorii habeat, necessum est, ne sit immediatè Imperio subjectus, quod cum de civitatibus optimè prædicetur, idcircò nemo illis territorii Jura denegabit. *Reink. libr. 1. de Regim. sec. & Eccl. lib. 4. c. 2. n. 37. Matth. Steph. lib. 2. de jurisd. part. 2. c. 1. n. 64.*

29. Deinde nobis hoc objicitur argumentum. Quicunq; non habent jura Principatus, illi non possident jura territorii, quia illa sine Principatus jure exerceri nequeunt. *arg. c. 1. de feud. March.* sed civitates Imperiales non habent jura Principatus. E. Resp. ad minorem, aut per jura Principatus intelligitur illa potestas, quam Princeps in suo Principatu habet, ut Princeps de Regali dignitate investitus, & tunc major est falsa: aut per jura Principatus intelliguntur illa jura propter quæ, quis illa suo territorio potest, quæ Imperator in imperio, salvis tamen reservatis, & tunc nemo civitatibus prædicta jura adimere poterit, siquidem eadem jura exercent in suis territoriis, quæ Princeps in suo Principatu: Imò sub generali Principum definitione, civitates Imperiales, ut species comprehenduntur. E. jura territorii habebunt. *Geil. 2. obs. 57. n. 7. Reink. lib. 1. de regim. sec. & eccl. cl. 5. c. 5. n. 16.*

 30. Ex

30. Ex his jam cōnsequitur, quod civitates Imperiales æquè, ut Princeps jura mutandæ religionis Pontificiæ vel Augustanæ Confessionis & illi annexos juris Episcopalis actus habeant; nam quodcunq; omnibus Imperii statib. concessum est, illud etiã ad civitates Imperiales pertinebit, quia ut s̃. probavimus status Imperii sunt. Sed mutatio religionis ōnib. Imperii statib. cōcessa. R. A. de Anno 1555. §. Und nach dem aber in vielen Freyen vnd Reichstädten. & §. Und damit solcher Fried. E. mutatio religionis Imperialibus civitatib. quoq; est concessa, *Syring. de pac. relig. concl. 39. lit. B. Reink. lib. 1. de regim. secul. & eccl. cl. 5. c. 5. n. 12. Bruning. de var. univers. spec. concl. 20.*

31. Possunt quoq; Imperiales civitates in suis territoriis jura condere, & leges promulgare, sine Imperatoris consensu, etenim quicunq; talem potestatem habent, qualem Imperator, illi possunt ferre leges, sed civitates Imp. talem potestatē habent, qualē Imperator. *Gail. de Arrest. Imp. c. 9. n. 1. Matt. Steph de jur. part. 2. lib. c. 1. n. 55.* E. civitates Imp. possunt ferre leges *Knich. de subl. & Regim. terr. jur. c. 1. n. 201. Reink. lib. 1. de Regim. sec. & Eccl. cl. 5. c 6. n. 7.* Imò quibus omnimoda jurisdictio & planissima administratio concessa est, illis etiam legumlatio, illa enim sine hoc commodè expediri nequit. *arg. l. 2. ff. de jurisd.* Atqui Civitatibus Imperialibus omnimoda jurisdictio est concessa. *Knich. in polit. Apol. n. 13.* E.

32. Civitates Imperiales jus & potestatem famæ restituendi habent. *arg. l. 1. §. f. ff. de quæst. l. divi fratres. 27. in pr. ibi. vel in integrum restitutio. ff. de pœn.* R. A. zu Speyer de Anno 1526. §. Und wiewol der gemeine Mann/ ibi, Und soll eine jede Obrigkeit Macht vnnd Gewalt haben / jhren Unterthanen / so sich in Gnad vnnd Ungnad begeben / vnnd gestrafft worden sind / nach Gelegenheit vnnd jhrem Gefallen / widerumb in Stand jhrer vorigen Ehren zu setzen/ zu qualificiren vnnd geschickt zu machen/ Recht vnd Gerichte zu besetzen/ Kundschafft zu geben/ vnd Ampt zu tragen/ darzu sie vnd andere in jhrem Anligen vnd Beschwerden jederzeit gnädiglichen zu hören/ vnd nach Gestalt der Sachen gnädiglichen vnnd förderlichen Bescheid zu geben. Nam quod de omnibus Magistratibus dicitur, illud procul dubio de civitatibus dicendum erit.

33. Fæ

33. Fœdera insuper civitates imperiales cum aliis percutere possunt. *Ordinat. Camer. p. 2. t. 9. §.* So jemand von den Beschädigten *Gail. de pace publ. c. 16. n. 14. Bruning. de variis univers. specieb. concl. 17.* Cùm n. Albertus Marchio, Electorem Moguntinum, Episcopum Spirensem, Herbipolensem & Bambergensem, multasq; civitates imperiales ad iniquas adigebat conditiones. Carolus V. Imperator Suevicis & Rhenanis civitatibus concessit, ut contra dictum Marchionem fœdus inirent. *Thuan. lib. 11. p. 217.* quod postea Cameræ applausu receptum fuit. *Mynsing. cent. 6. obs. 2.*

34. Cùm verò nemo bellum gerere possit, nisi habeat jus conscribendi militem, jus fabrificandi arma, imò muniendi arces & fortalitia extruendi, idcircò & hęc jura civitatibus Imperialibus competere non ambigimus, cum notum sit Principibus Germaniæ, ob antiquissimum libertatis privilegium concessum esse, ut militem possint cogere in propriam & aliorum salutem. *Reink. d. lib. 1. de regim. secul. & eccl cl. 5. c. 6. n. 12.* Jam verò manifestum est, quod civitates Principum jura habeant. E.

35. Et quia plurimæ expeditiones, quæ Magistratibus civitatum Imperialium sunt commissæ, sine Legatorum missione commodè explicari nequeunt, ea propter, non absque ratione jus mittendi legatos, civitatibus Imperialibus competere cum *H. Kirchn. de legat. c. 3. n. 53. & Theodor. Reink. libr. 1. de regim. sec. & eccl. cl. 5. c. 6. n. 42.* asserimus.

36. Civitates imperiales, ob supra dictas rationes bona vacantia, vulgò Erblose Güter, occupant, quæ olim quidem ad civitates non pertinebant. *l. 1. & 4. ff. de bon. vacant.* sed quia hodiè usus regalium statibus ab Imperatore fuit communicatus, qua propter civitatibus illæ meritò attribuuntur, cuicunq; enim regalia, illi etiam fiscalia competunt. *Bruning. de var. univers. spec concl. 25. lit. B.*

37. Finis civitatum Imperialium, in eo consistere putamus, quod summa ope & diligentia salutem & incolumitatem imperii cum reliquis membris promoveant, & illud pro viribus sartum tectumq; adserant, quamdiu enim totum valet, tamdiu etiam benè cum membris agitur, sed toto destructo,

præsens membris imminet interitus, & periculosa mutatio. Et quamvis non rarò affectu quodam membrum unum atq; alterum corripiatur, tamen isti facilè succurri, & ad pristinum statum reduci potest. Et hæc generaliter pro nostroque instituto, hac vice, dicta sufficiant de civitatibus Imperialibus.

38. Provinciales civitates sunt societates imperii statibus subjectæ, juris comitiorum expertes. *Paurmeist. lib. 2. de jurisd. c. ult. n. 28. de quibus v. Matth. Stephan. lib. 2. de jurisd. part. 2. c. 2.* nos enim de illis nihil sumus dicturi.

39. Coronidis loco Æneæ Silvii Itali, qui postea Pius II. Pontifex dictus fuit, præclarum Germanorum encomium, quod in *Epist. 131.* De Constantinopolitana clade, contra Turcas extat, annectere volui, quod sic habet:

40. Mihi seu nova consideranti, seu vetera mente repetenti, inter omnes nationes, quas bello idoneas judicant, nulla expeditior, nulla peritior, nulla fortior, nulla audentior, quam vestra, ô Germani videtur. Vobis homines, vobis equi, vobis arma, vobis pecuniæ sunt. Nulla natio tàm grandis sub cœlo est, quæ habeat DEOS appropinquantes sibi, sicut adest vobis DOMINUS DEUS noster. Et ubi, obsecro, tot Clarissimi Principes, tot generosi Proceres, tot potentes civitates, tot divitiæ, tot auri, tot argenti, tot ferri mineræ? Ubi tanta populi multitudo, tanta juventus, tantum animi, tantum roboris? Germaniæ fines, ut veteres tradunt, ab Oriente Viscella fluvius, & Hungariæ limes fuère: ab Occidente Rhenus: à Meridie Danubius: à Septendrione Oceanus & Mare Balticum, quod Prutenicum vocare possumus: nunc quantum extra hos terminos possideatis, ipsi videtis. Vos Angliam, pulsis Britannis, occupastis: vos Belgarum, Helvetiorumque fines, ejectis Gallis, obtinuistis: vos Rhetiam & Noricum invasistis: vos usque in Italiam pedem extendistis: vos Hulmerigeros, qui nunc Pruteni vocantur, ex manibus infidelium detraxistis. Vos igitur magni, vos bellicosissimi, vos fortunatissimi, ac Deo accepti, Germani estis, quibus adeò fines extendisse licuit, ut super omnes mortales Romanæ potentiæ datum fuit obsistere. Nam terrarum ille calcator omnium, Julius Cæsar, quamvis subactis Gallis sæpè Rhenum transiverit,

resq;

resq; maximas in Germania gesserit, bellicosam tamen & asperam gentem Suevorum dimisit indomitam. Augustus Octavianus, cui & Parthorum & Indorum Reges munera miserunt, qui unus omnium Romanorum fortunatissimus creditus fuit, de quo illa sunt metra

Augustus Cæsar, divûm genus aurea condet
Secula.

Iste, inquam, felicissimus Imperator nullibi nunquam nisi apud Germanos succubuit. Ego hodiè bellum contra Turcam suscipiendo, etiam Italis, Gallis, Hispanis, Hungaris, Bohemis, Russianis, Bulgaris, Illyricis, Græcis, Asiaticis domi manentibus; solam Germaniam sufficere non dubitaverim.

Parerga.

I.

Rectam rationem juris nostri principium esse non dubitamus.

I I.

Malè Anton. Matth. *disp. 14. th. 87. de fundam. quibusd. juris alit. jaciend.* Imperatori nævum obtrudit, quod in quibusdam institutionum locis jus antiquatum recenset.

I I I.

Malè idem *d. l. th. 104.* actionis definitionem ab Imper. in pr. Inst. de actionib. positam soli actioni personali competere asserit.

IV.

Idem Antonius Matth. *disp 12. thes. 17.* de fundament. quibusd. jur alit. jaciend. statuit, quod quæstio sive tortura immanem Ethnicorum barbariem sapiat, & ideò sacris literis contrarietur. Nos contra illam optimum sceleris eruendi instrumentum esse nec cum verbo Dei pugnare putamus.

V. Po-

V.

Poteſtatem patriam, de qua Imperator Juſtinianus in *tit. Inſtit. de pat. poteſt.* agit, ſoli cives Romani habent, etiamſi aliæ gentes patria poteſtate utantur.

VI.

Mariti filius ex alia uxore, & uxoris filia ex alio marito rectè matrimonium contrahunt, *per §. mariti. 8. Inſtit. de Nupt.* & *l. generali. 34. §. inter privignos. 2. ff. de rit. nupt.* Nec contradicit *cap. 18. verſ. 11. Levit.* Licet Anton. Matth. *diſp. 12. th. 18. de fundam. quib. ini. al. jac.* ſe primum hanc difficultatem obſervaſſe glorietur.

F I N I S.